



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Canonem Sacrificii Missae, Vti & reliquas eiusdem  
Partes Brevis Ac Lvcvlenta, & ad pietatem vtilis Expositio**

**Veken, Frans van der**

**Coloniae, 1644**

§ 5. Monitio ad Lectorem

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9878**

§. V.

*Monitio ad Lectorem.*

**D**iscrete Lector, de prudentia tua confido, haud fore, ut perfecto hoc Libello, in primo statim Sacrificio omnium meminisse, eaque ad praxim reuocare contendas. Sic enim non colligeres attentionem, sed confunderes, nec pietatem nutrides, sed suffocares. Paulatim & per partes eundum. Hodie ante sacrificium ex uno Capite unum alterumve paragraphum expende, eiq; mentem & affectum accommoda: eundem cras & perendie repete, donec cura & studium in consuetudinem transfecat. Tum verò simili modo ad sequentes procede: sic enim fiet, ut nulla tandem diuinissimi huius Officij pars suâ pietate careat: quæ tamen nec tibi molestiam; neque ijs, quæ tunc dicenda agendaque occurrunt, ullam remoram creet. Nihil humana mente facilius, nihil

sub-

subtilius circa ea , quibus assueuit : in i-  
ctu oculi in quamuis se insinuat nego-  
tiorum molem, suamque circa corpora  
substantiam imitata , sine ullo obice  
sensuq; peruadit.

Nolim præterea, vt, si alijs conside-  
rationibus pijs affectibusq; assueueris,  
in Libelli huius gratiam quidpiam im-  
mutes. Tua fortè sunt meliora in eo-  
dem contentis : vtq; in paucis conce-  
dant , quod in legibus monent Iuris-  
periti a, euidentem esse utilitatem debe-  
re ut recedatur ab eo iure, quod din a-  
quum visum est , idem in moribus ser-  
uandam. Ut enim prudenter Augusti-  
nus b, *Consuetudinis mutatio, quamvis*  
*utilitate adiunet, nonitate tamen per-*  
*turbat.* Ad illos ergo præcipuè hoc O-  
pusculum dirigitur, qui vel recenter Sa-  
cerdotio initiantur , vel nondum cer-  
tam aliquam rationem interius illud  
ac spirituale Sacrificium cum exteriori  
coniungendi iniuerunt.

K . s.

Quin

a L. 2. ff. de Const. b Aug. ep. 118.

Quin etiam hos ipsos nolim adeo  
in præsentibus acquiescere , vt ulterius  
non studeant , aliorum lectione vel  
propriâ meditatione proficere . Absit  
enim , vt deuotionis tanto Sacrificio  
debitæ summam me attigisse existi-  
mem : vix minimam eius particulam  
delibauī . Exempla solūm dedi piorum  
quorumdam conceptum & affe-  
ctuum : quæ , vt est in prouerbio , suam  
regulam non adæquant . Denique sicut  
bi imprudens à veritate aberrauero ,  
quicumque es Lector , errorem doce-  
lubentissimè corrigam , mequé  
tum discipulum perpetuò  
deuinctissimum pro-  
fitebor .

F E N I S .

Collegij Societatis jesu  
paderbornae .

IN